

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Hortvs Ciceronianvs sive Flores Apophthegmatum &
Historiarum e Scriptis Ciceronis in Vsum &
delectamentum Studiosae pubis excerpti**

Omeis, Magnus Daniel

Norimbergae, 1699

33. Moses

urn:nbn:de:bsz:31-105410

fit, ergastulis & verberibus coërcuit, servitute durissima afflixit. Admonitus portentis & prodigiis se ipso fit contumacior. Deus cum liberare suos, & levare ærumnas ecclesiæ vellet, ab Ægyptiis auro, argento, & veste pretiosa mutuo sumpta, fugere suos jubet, ultra sexcenta armatorum millia, exceptis uxoribus & liberis, & servitiis se illis adjungentibus. Eos Pharaon cum selecto exercitu & cupida vindictæ gente insequens, & mare rubrum, quod populo Dei ex utroque latere, quasi in montes erectum, viam præbuerat, ingressus, cum copiis omnibus, ne uno quidem homine superstiti, æquoris procella & impressione, funditus obruitur atque submergitur.

33.

MOSES.

Moses e tribu Levi infans in ripa Nili repertus, a Pharaonis filia hoc

f 2

nomen

nomen accipit. In domo regia delicate nutritur, & in omni Ægyptiorum sapientia præclare instituitur. Habitus illustris in aula, cum populo Dei malis affici maluit, quam bonis perituris cum peccato frui: majores ratus divitias probrum Christi, quam thesauros Ægyptiorum; ut epistola ad Ebræos loquitur. Ad populum liberandum evocatus ex agro, multa & inusitata in Ægypto edit prodigia. Eo duce Deus stare fecit aquas sicut montes: & populum per mare rubrum comitatus est, & insequentes hostes in profundo tanquam plumbum demersit. In deserto agitatus seditionibus domesticorum, agnatorum, tribulium, & petitus lapidibus a vulgo, Dei potentia semper defenditur, ab omnibus adversariis invictus. Pro populi salute expungi vult e libro vitæ, & novis miraculis Dei præsentiam

pro-

probar
colloq
Orebo
cie in
cum Cl
puli in
Aaron
gem D
docet
tuit: a
tur m
quam
cum p
ad co
sed ta
amœ
vider
te sub
ejus
vic Mi

probat, & cum Deo quasi familiaris colloquitur, humano corpore, in Orebo & Sina montibus; coelesti facie in monte Thabore, sermones cum Christo confert. Censum populi in deserto agit bis, semel cum Aarone, iterum cum Eleazaro. Legem Dei promulgat, ritus sacrorum docet, formam judiciorum constituit: annis totis quadraginta fungitur moderamine, quanto nullus unquam mortalium functus est. In locum promissionis non venit, ita uti ad coelum lex deducit neminem; sed tamen regionis Chananæ situm amœnum, Deo procul monstrante, videt in monte Nebo, in quo morte sublatus, a Deo ipso sepelitur. Pro ejus corpore contra Satanam certavit Michaël angelus.

f 3

34. AA.